

HISTORIA DIPLOMATICA  
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT  
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPANUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT  
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNUS EX ACADEMIÆ INSCRIPTIONUM SOCIIS.

---

TOMUS II.

PARS I.

---

---

PARISIIS

EXCUEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII.

exercitus christiani corda confirma, desideratum succursum favente Domino magnifice habiturus.

Datum Laterani, XVIII kalendas januarii, pontificatus nostri anno V.

Imperator per Campaniam iter habens venit in regnum, et apud Sanctum Germanum magnifice a [Stephano Cassinense] abbate receptus mensam camporum et jus sanguinis quae usque tunc habuerat ex concessione imperatoris Henrici ecclesia Cassinensis, recipit ab eodem (1); Suessam (2), Theanum et Roccam Draconis in demanium revocat, quas comes Rogerius de Aquila tunc tenebat. *Ricc. de S. GERM., Chronic. ad ann.*

Apud Sanctum  
Germanum,  
decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, privilegia a praedecessoribus suis indulta genti Advocatorum de Colle Putei prope Lucam confirmat, cum titulo sacri palatii comitum et imperialium missorum, jurisdictione et possessionibus.

In castris  
apud Sanctum  
Germanum,  
decembri.

(Edit. ap. *Memor. e Docum. per servire all' istor. della città e stato di Lucca*, tom. III, p. 141. — Cl. Cianellius auctor dissertationis cui hoc diploma innecitur, aliud confirmatorium memorat Caroli quarti, 13 martii 1355, nec non et

(1) Mense praecedenti apud Romam idem abbas ad petitionem imperatoris ei Roccam Bantrae mandaverat restitui et Atinum, quae usque tunc ex concessione imperatoris Henrici patris ejus ecclesia Cassinensis tenuerat. Cf. *ibidem*.

(2) « Et in die Sanctae Luciae (13 decemb.) venit apud Sanctum Germanum et in die Sancti Ambrosii (7 decemb.) idem dominus imperator introivit civitatem Suessae quam recuperavit in ejus dominium, et ibidem stetit per tres dies. » *Chronic. Suess.* ap. ZACHARIA, *Iter litter.*, p. 227. Dies autem S. Ambrosii perperam notatur, cum neque instrumentis authenticis neque itineris ordini se accommodet.

duo alla privilegia eidem genti concessa a Friderico I et ab Ottone IV, additque:  
 « Questi documenti non mi è avvenuto di ritrovarli altrove se non nel proto-  
 » collo de' rogiti del egregio ser Antonio del fu Giacomo Luporini (*Archiv. na-*  
 » *xion. dette di S. Giov.*) formato dall' anno 1431 fino al 1435, nella circos-  
 » stanza che redige in atti la presentazione di Ambrogio del fu Tomaso Nardini  
 » cittadino Lucchese *coram nobili viro Dino quondam Julii de Advocatis Lucano*  
 » *sacri palatii et Romani imperii comite*, per ottenerne dal detto conte l'investi-  
 » titura della dignità di giudice ordinario e di publico notaro nel giorno 11 nov.  
 » 1433, ripetendosi ivi per disteso nelle maniere che sopra i privilegj che la fa-  
 » miglia degli Advocati godeva. » )

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, rex Sicilie. Imperialis eminentie titulos decenter extollimus digneque adornamus cum nos facta progenitorum nostrorum et rata habemus et inviolabiliter decernimus observari. Sicut namque ex privilegiis progenitorum nostrorum Frederici et Henrici Romanorum imperatorum didicimus, ita nos ad ipsorum imitationem, inspecta devotione pariterque fidelitate, dilectissimis fidelibus nostris Lamberto, Duodo, Visdomino, Orlandino, Normanno, Sexmundino, Gattanello, Cecio, Frederico, Quirico eorumque legitimis heredibus et proheredibus concedimus et in perpetuum confirmamus honorem et omnem ejus effectum, scilicet ut sint comites palatii et missi (1) domini imperatoris. Itaque potestatem et ordinariam jurisdictionem eis qui sunt comites sacri palatii et imperiales missi concedimus iudices faciendi sive mittendi, notarios faciendi et mittendi, emancipationes celebrandi et rursus alienationes minorum necessitate cogente, vel etiam pignorandi publica scriptura interveniente et mulieres suis viris tradendi vel disponendi et placita voluntaria de tota marchia ante eos venientia distringendi et homines pena sui banni alligandi et publicandi et viarum publicarum destructores multa puniendi (a) et pugnam legaliter ordinandi vel imperandi. Preterea concedimus eis potestatem restituendi lapsos causa cognita volen-

(a) In impresso *faciendi*, male.

---

(1) Vid. Cangium *ad verb.*, et Muratorium, *Antiquit. Ital. med. aevi*, dissert. VII et IX.

tibus manumittere servos suos et substituendi advocatos ecclesiis et clericis et dandi tutores et curatores minoribus, furiosis et prodigis et perpetuo morbo laborantibus et mente captis, feminis autem mundualdos, et removendi suspectos et alios substituendi, et potestatem recipiendi nostra vice in suum mundium (1) puellas et viduas quarum mundium a suis mundualdis jure fuerit perditum et quarum certus mundualdus non invenitur. Insuper advocatiam quam a marchionibus possident per totam marchiam et vicedominatum quem habent ab episcopo Lucensi et ejus beneficium ipsis imperiali auctoritate perenniter confirmamus. Preterea omnia jura et omnes possessiones et beneficia que in comitatu Lucensi aut Pisano vel in aliquo loco Romani imperii aut ab imperatore aut a marchione aut ab episcopis aut ab ecclesiis, etc. (*sic*) possident, nominatimque in districtu colle Putei (2), castri ipsorum quod est prope Lucam, in plebe Sancti Pancratii et in plebe Marlia et in eorum cappellis et in cappella Sancti Geminiani, omnem justitiam et usum antiquum que pertinent ad regnum seu ad marchiam per hanc preceptalem paginam omni evo valituram eis confirmamus, et in monte Grominii idem ipsis concedimus quantum a progenitoribus sive predecessoribus nostris ad eos ab imperiali aula descendit, ipsis[que] eorumque heredibus inconcussum et illibatum precipimus perpetuo permanere; ita ut in personis et bonis eorum nemo nisi regia aut imperialis majestas aliquam habeat potestatem. Jubemus itaque et sub nostro banno precipimus hanc nostre sanctionis paginam ab omnibus firmiter et inviolabiliter observari et custodiri, presertim a iudicibus Lucensibus, etc. (*sic*). Si quis autem contra hanc nostram preceptionem in predictis honoribus et possessionibus eorum adversus eos et eorum heredes ire temptaverit, sciat se mille marcarum auri penam compositurum (b), medietatem nostre camere et medietatem ipsis comitibus sacri palatii et imperialibus missis et advocatis.

(a) In impresso *comportaturum*, male.

---

(1) Mundium, scilicet jus quod habet curator vel tutor in personam et bona illius qui sub ejus cura vel tutela positus est. De diversis mundi sive mundiburdii generibus, vid. CANGIUM, ad haec verba.

(2) Italice *Col di Pozzo*.

Hujus rei testes sunt, etc. (a).

Signum domini Friderici secundi invictissimi Romanorum imperatoris augusti et regis Sicilie.

Ego Conradus Spirensis et Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Engelberti Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, mense decembris, indictione nona, regnante domino Friderico secundo Romanorum imperatore glorioso, anno regni ejus in Germania octavo, in Sicilia vigesimo tertio, imperii vero primo.

Datum in castris apud Sanctum Germanum, mense et indictione predictis, feliciter. Amen.

Apud Sanctum  
Germanum,  
decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, Johannem abbatem monasterii Virginis Mariae de Monte Virginis fratresque, possessiones et personas eidem monasterio subditas sub speciali protectione sua suscipit, omnes concessionones et immunitates ab eodem obtentas confirmat, obedientiasque et ecclesias ejus recenset.

(Edd. MASTRULLO, *Monte Vergine sacro*, p. 648 et seqq., sed minus correcte.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, rex Sicilie. Quoties obtentu superni numinis ad ecclesiarum et locorum (b) venerabilium cultus aciem intentionis nostre convertimus et eorum profectus et commoda pie nostris commodis (sic) intuetur, ad sublimitatis potentie cumulum nostre potestatis virtus erigitur et majestatis nostre solium pietatis titulo largius decoratur. Nihil enim justius, nihil dignius

(a) Desunt testium nomina, sive Cianellius ipse ea praetermiserit, sive desiderantur in transumpto notarii cujus supra mentio fit.

(b) In impresso loca.

poterit reperiri quam unde nobis bona perveniunt, illa nostre liberalitatis munera conferantur. Hac si quidem ducti consideratione laudabili, diligentius attendentes religionem et honestatem domini Johannis venerabilis abbatis et aliorum monachorum sacri monasterii gloriose Virginis Marie de Monte Virginis, obtentu divine pietatis et spe retributionis eterne, nec non ad laudem et gloriam ipsius regine virginum, pro salute quoque divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende et de consueta nostre munificentia majestatis, monasterium ipsum, abbatem, monachos, conversos, terram Mercuriani, casalia, homines et vassallos ipsius monasterii cum omnibus obedientiis, ecclesiis, hospitalibus, tenimentis, possessionibus, redditibus, molendinis, juribus, libertatibus, mobilibus et immobilibus universis, quibuscumque introitibus ad ipsum monasterium pertinentibus et personis ei subditis in quacumque parte regni et imperii nostri commorantibus sub speciali protectione et defensione nostre majestatis suscipimus, et ab omni molestatione, inquietatione, collectis, adjutoriis, datis, exactionibus aliisque gravaminibus omnibus et servitiis personalibus, realibus et rebus personarum ipsarum perpetuo liberos et securos esse censemus. Possessiones etiam, ecclesias, hospitalia, tenimenta, redditus, molendina, libertates, terram Mercuriani, casalia, homines, vassallos et universa mobilia et immobilia ac omnes retro pontificum, regum, imperatorum, principum, ducum, comitum, baronum seu quorumcumque aliorum hominum utriusque sexus concessionem, libertates, donationes, oblationes, confirmationes, venditiones, commutationes seu quocumque alio titulo alienationes secundum tenorem privilegiorum et instrumentorum dicti monasterii eidem datas seu factas, que nunc prenommatum monasterium tenet aut in posterum concessione, liberalitate, donatione, oblatione, confirmatione, emptione, permutatione, alienatione seu quocumque alio modo, Domino annuente, juste poterit adipisci, omni nostra nostrorumque heredum vel successorum seu partis reipublice vel fidelium nostrorum contrarietate vel inquietatione seu aliqua perturbatione remota, rata esse volumus ipsi sacro (a) monasterio, et libera semper absque omni servitio et adjutorio

(a) In impresso *ipso castro*, pessime.

personali, reali [et] rebus personarum ipsarum nostre reipublice et fidelibus nostris debito perpetuo imperiali auctoritate in elemosinam eidem monasterio confirmamus. Concedimus etiam ut si monachi vel conversi per se vel per nuntios familiares suos seu homines et vaxalli ipsius monasterii et obedientiarum et locorum eidem subditorum cum eorum animalibus de quibuscumque rebus oneratis ierint et redierint seu aliqua emerint vel vendiderint pro eorum utilitate per totum regnum et imperium nostrum, nullus in tota terra nostri demanii comitum, baronum, militum et aliorum fidelium nostrorum plateaticum [imponat] aut tollat, sed libere et absque contrarietate semper permittantur abire. Volumus insuper et iubemus ut de animalibus ipsius monasterii, obedientiarum, locorum, pastorum, hominum et vaxallorum suorum secure et libere sub nostra protectione semper eant et redeant, maneant et pascantur per totum regnum et imperium nostrum in quacumque parte fuerint reperia, tam per terram nostri demanii quam comitum, baronum, militum et aliorum fidelium nostrorum, et ligna etiam viridia et sicca fratres dicti monasterii et locorum suorum ac homines et vaxalli ejus pro eorum justa utilitate per totam terram nostri demanii et predictorum fidelium nostrorum sine cujuscumque contrarietate semper accipiant. Precipimus etiam firmiter imperiali auctoritate ut homines et vaxalli qui ad jus predicti monasterii pertinent vel Domino dante in futurum pertinere noscentur, nullum gravamen ab aliquo seu molestiam patiantur, sed ab omnibus servitiis, adjutoriis et gravaminibus personalibus, realibus et rebus personarum ipsarum liberos esse volumus perpetuo et immunes. Volumus etiam et concedimus de nostra plena liberalitate ut homines dicti monasterii et obedientiarum ejus ac homines et vaxalli ipsius monasterii omnes libertates, bonos usus et consuetudines semper habeant quas tempore regis Guillelmi habuerunt, quas ipsis volumus et concedimus perpetuo conservari; et si que mala consuetudo in eodem monasterio seu in aliquibus de supradictis locis suis, rebus vel possessionibus aut castro Mercuriani, casalibus, hominibus et vaxallis dicti monasterii hactenus fuit imposita in tota terra nostri demanii et predictorum fidelium nostrorum, omnimodo deinceps deleatur et non valeat in futurum. Concedimus etiam et

perpetuo confirmamus ipsi sacro monasterio beate Marie Virginis, pro reverentia regine virginum ad cujus laudem et gloriam ipsum monasterium est constructum, quecumque in privilegiis imperatoris et imperatricis parentum nostrorum divorum felicium augustorum et aliorum felicium regum predecessorum nostrorum de immunitatibus, libertatibus et concessionibus ipsius monasterii, obedientiarum, locorum et vaxallorum suorum apertius continentur, necnon et terram Mercuriani cum omnibus hominibus, tenementis, juribus, libertatibus et pertinentiis suis francam et liberam ab omni servitio personali, reali et rebus personarum ipsarum et ab omnibus collectis, adjutoriis, datiis, exactionibus aliisque gravaminibus, quam quondam progenitores nostri divi augusti memorie recolende ipsi sacro monasterio in eleemosynam donaverunt et concesserunt francam et liberam ab omni onere servitutis et collectis, adjutoriis, datiis, exactionibus aliisque gravaminibus omnibus, prout in eorum privilegiis ab eisdem ipsi monasterio confectis exinde plenius continetur. Que omnia vidimus et tenorem ipsorum inspeximus diligenter, nulli ulterius necessario ostendenda et ipsorum inspiciendo et legendo tenore (a), quia vidimus et scivimus ea absque aliquo vitio et vituperatione confecta. Confirmamus etiam ipsi monasterio concordiam ex commissione curie nostre communiter factam inter ipsum et Robertum Malerham dominum Submontis fidelem nostrum, prout ipsius concordie publicum continet instrumentum, de questione quam idem Robertus moverat contra ipsum monasterium pro aliquibus servitiis et redditibus que ab eodem monasterio et hominibus casalis ejusdem quod dicitur Fontanelle cum instantia requirebat. Insuper concedimus et confirmamus ipsi monasterio habere et percipere perpetuo de lacu Alesine annuatim sexaginta sertas anguillarum de grossis et supergrossis, quas quondam Matteus comes Alesine concessit et donavit ipsi monasterio semper habere ibidem et percipere annuatim, prout ipsius concessionis et donationis publicum continet instrumentum. Ad majorem quoque cautelam quedam de predictis omnibus que ipsi monasterio confirmamus propriis duximus nominibus ex-

(a) Correximus ibi quae nimium in impresso grammaticam perturbant.



primenda : videlicet hospitale Sancti Thome quod est in pede montis ipsius monasterii et casale Fontanella quod ejusdem monasterii est, situm inter dictum hospitale et castrum Submontis, ecclesiam Sancti Jacobi de Benevento, ecclesiam Sancti Joannis de Aquaria et casale de Aquaria ejusdem ecclesie in territorio Vici, ecclesiam Sancti Petri de Rossetano in territorio Rocce Sancte Agathe, ecclesiam Sancti Petri de Plano in territorio Asculi, obedientiam et hospitale Troye, ecclesiam Sancte Marie de Oliva in territorio Tulbie, quasdam ecclesias et triginta casatas hominum in sancto Clerico de Tricarico, ecclesiam Sancti Honufrii et casale de Massa ejusdem ecclesie, obedientiam et hospitale Heboli, obedientiam in casali Sancti Marzani et hospitale pauperum de Nocera, et donationem atque concessionem nostram de aqua Sancti Mauri in Nocera derivando eam ad utilitatem dicti monasterii et de novo ibidem molendina et fusaria concedendi (a), ecclesiam Sancti Jacobi in territorio Lauri, ecclesiam Sancte Marie de Plesco et casale Casemarciane ejusdem ecclesie in territorio Cicale, ecclesiam Sancte Marie regalis in Magdalono, et donationem atque concessionem nostram de foresta nostri demanii in territorio ejusdem terre et octo casatas villanorum in eadem terra, obedientiam in casali Baiani de Avella, ecclesiam Sancti Johannis de Argentio, ecclesiam Sancte Crucis in territorio Palme, obedientiam Casecugnane in territorio Averse, ecclesiam Sancti Felicis in Neapoli, et tam omnes predictas ecclesias, obedientias, hospitalia, loca et casalia, sicut ea ubique per totum regnum et imperium nostrum [ad] monasterium ipsum juste dignoscuntur pertinere, cum omnibus hominibus, vaxallis, possessionibus, tenimentis, redditibus, molendinis, juribus, libertatibus, justitiis et pertinentiis eorumdem, prout in eisdem monasterii privilegiis, instrumentis, juribus et aliis scriptis publicis plenius continentur, de abundantiori gratia nostra, pro remedio quoque felicium regum predecessorum nostrorum et felicium augustorum progenitorum nostrorum memorie recolende ac pro salute principaliter nostra damus et libere concedimus in eleemosinam ipsi sacro monasterio ac perpetuo confirma-

(a) Locus mutilus : forsitan *construendo*.

mus, etc. (*sic*). Ad hujus ergo protectionis, concessionis, donationis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Jacobi de Catania notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense, indictione subscriptis.

Datum apud Sanctum Germanum, anno dominice incarnationis M.CC.XX, mense decembris, indictione nona, regnante domino nostro Friderico Dei gratia imperatore, semper augusto et rege Sicilie, imperii ejus anno primo et regni Sicilie anno XXII (*a*), feliciter. Amen.

Imperator se recto tramite Capuam conferens et regens ibi curiam generalem pro bono statu regni suas assisias promulgavit quæ sub viginti capitulis continentur (1). *RICC. DE S. GERM., Chronic. ad ann.*

[Capuae,  
16 decembris  
circiter.]

(*a*) Recte autem *XXIII*.

(1) Haec capitula omnino perierunt. Nihil autem dubii est quin renovata et denuo publicata fere sub eisdem verbis fuerint, quum imperator veteres constitutiones in corpus unum novis additis redigi et apud Melfiam mense septembri 4234 promulgari fecerit. Argumentum enim luce clarius invenimus, dum quinque ex constitutionibus apud Capuam editis rursus inter Melfienses renascantur :

1<sup>o</sup> *De privilegiis resignandis*. Cf. passim sequentia documenta et praecipue epistolam Honorio papæ missam, dat. apud Trantum, 3 martii 4224. Adest inter constitutiones regni (Neapoli, 4786), lib. II, tit. XXIX.

2<sup>o</sup> *De novis aedificiis diruendis*. Cf. *RICC. DE S. GERM.*, ad ann. 4224 et 4223, ubi agitur de diruendis tam Rocca Janula quam pluribus castellis in comitatu Molisii indebite constructis. Adest *ibidem*, lib. III, tit. XXXII.

3<sup>o</sup> *Quod nullus praelatus, etc., officium justitiarum gerat*. Vide supra (p. 83) jus sanguinis ab abbate Cassinensi imperatori restitutum, et passim. Adest *ibidem*, lib. I, tit. XLIX.

4<sup>o</sup> *De feudis integraliter revocandis, et quod bona stabilia per aliquos ecclesias et religiosas locis oblata vendi aut alienari debeant infra annum*. Cf. privilegium pro monasterio montis Virginis, dat. Melfiae (?), mense februario 4224. Adest *ibidem*, lib. III, tit. V et tit. XXIX.

5<sup>o</sup> *De instrumentis conscribendis*. In quodam instrumento anni 4220 legitur in curia Ravel-